

*Bibliothèque numérique*

**medic@**

**Geille de Saint-Léger, Charles -  
candidat / Vasse, David - président /  
Pepin, Antoine - président. - An Panis  
tostus, primùm Aquâ, deinde Vino  
madefactus, conditus Saccharo,  
salubris ?**

**1741.**

***Paris : Typis Quillau,  
Universitatis & Facultatis  
Medicinae Typographi  
Cote : ms 2329 n°23***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé  
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322\\_ms02337ax08x0023](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax08x0023)



DEO OPTIMO MAX.  
UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ,  
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS  
*manè discutienda in Scholis Medicorum die Jovis secundâ  
Martii M. DCC. XLI.*

M. DAVID VASSE, Doctore Medico M. ANTONII  
PEPIN, Doctoris Medici, Regis Consiliarii & in Portu  
Brestensi Medici Primarii, vices gerente Præside.

*An Panis tostus, primùm Aquâ, deinde Vino madefactus, conditus  
Saccharo, salubris?*

I.



ANUS vigens robustus homo nullis aut pau-  
cioribus legibus adstrictus beatam deget vi-  
tam. Haud secus cui valetudo non secunda:  
huic, quæ aliis hominibus conveniunt alimen-  
ta, malè succedunt; tantò pejùs si cruda præparationi-

A



bus indigeant. Pauca sunt quæ sanis ; débilibus pauciora , conferant alimenta , qualia natura offert ; agrotantibus nulla. Ipsamet aqua cursu aere sole nisi alteretur , crudior nocet. Tritici semen vel ejus farina aquâ quidem mixta ; pistillo subacta , igne nec non , nisi prius fermento imbuatur , cocta , debili ventriculo infert noxam. Uvæ liquor recens expressus , cruditates , alvi fluxus , *borborygmos* &c , creat : Sacchar ni depuretur coquatur ad crystallos usque , putridum acescit aut vappa insipidum ac putrefit nedum valeat saporum.

## I I.

**C**ONDITIONE nec cedit præparationi : hæc à detractione sectione , ustione , madefactione , insolatione , &c. desumit suum artificium : in adjectione tota est prior , aquâ sale terrâ fructibus lignis corticibus foliis &c , diversâ formulâ adhibitis , utitur. Pani sal non nunquam mel butyrum &c , aquæ nitrum , tartarum vino , saccharo calx inditur. Viceversa ac mutuò à se se condiri omnia nemo non intelligit. Quæ aqua vino temperatur mitigat & ipsum , panisque faucibus præ ariditate erosionem dum deglutitur inferens si alterutro aut utroque liquore madeat faciliori descensu ventriculum appellit , gratoque sapore si gaudeat *saccharatus*.

## I I I.

**N**ULLA est in praxi vel medicâ regula communis : duos vix eisdem homines ( idest quibus nulla in circumstantiis , insit varietas ) invenies : utrique si idem offeras alimentum , alterutri creas morbum. Eidem alimento diversa conditio , præparatio varia , varia &c



3

tempus occasio. modus circumstantiæ quæque. Quædam sunt quæ danda nusquam, quædam aliquando, alimentum vero hîc propositum semper.

#### I V.

**P**ANIS *tostio*, madefactio aquâ, vino irroratio, inspersio sale; *euchili* confectio cibi: robustis debilibusque confert. Jejuné in jentaculo, in prandio, in merendo, in cœna, inter cuiusque temporis spatia, quidni noctu, si vigilantibus cibi necessitas; utrique sexui quaque ætate & anni tempestate; in ventriculi debilitate à ciborum vacuitate: ante per & post esum; viatoribus, vitam sedentariam agentibus; ante & post violentum exercitium; prægnantibus puerperis nutritibus apprimé paratur. Vix indicabis cui animalium speciei repugnet: omnibus ferè arridet volatilibus, forsan Equo hilari propter vinum, Cani famelico propter panem; insectis dulciariorum avidis; Homini & Psittaco hisce omnibus utrique abutenti.

#### V.

**N**EC minor aquæ quantitas pane non tosto comparanda cum majori quantitate si torreatur; sic dicito de aquâ primùm madefactione diversum ac si vino antea injiciatur panis: nec omittenda stillandæ aquæ paulatim ratio, ut aeri expositus panis turgescat, diversa ac si aquæ summa subito infunderetur: saccharum etiam inter hujusce operationis initia inspersum, in causa est intimioris citiorisque madefactionis quàm si postea adderetur. Quodcumque horum majore



ri minori-ve quantitate mensurandum pro varia diversaque nutriendi intentione : modus exhibendi , cibi mensura , tempus , circumstantiæ indicantur quidem diversa , sed nusquam meritò , veniunt omnino prohibenda.

*Ergo panis tostus primùm Aquâ deinde Vino madefactus, conditus saccharo , salubris.*

Proponebat Parisiis CAROLUS GEILLE DE S. LEGER  
Claromontanus , Bacalaureus Medicus , A. R. S. H.  
1741. à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU , Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.